

**Affinitatum animalium tabulam brevi commentario illustratam / praeside
Joanne Herrmanno ... MDCCLXXVII ... proponit Georg. Christoph. Würtz.**

Contributors

Hermann, Johann, 1738-1800.
Würtz, George-Christophe, 1756-1823.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Joh. Henrici Heitzii, [1777]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/udxtk5fh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

S. B. F. F.

10

AFFINITATUM
ANIMALIUM

TABULAM

BREVI COMMENTARIO ILLUSTRATAM

P R Æ S I D E

JOANNE HERRMANNO

PHIL. ET MED. D. ET PROF. PUBL. EXTR. ACADEM. REG.

SUEC. P. P. ET SOCIET. PHYS. BEROL. MEMBRO

IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE

ACADEMICIS EXERCITATIONIBUS

VENTILANDAM

A. N. C. MDCCLXXVII. D. XXI. JUNII

PROPONIT

GEORG. CHRISTOPH. WÜRTZ.

ARGENTINENSIS.

ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.

Quanquam igitur multa sint, ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant, excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturæ rerum contemplatio quàmvis non faciat medicum, aptiorem tamen reddit Medicinæ profectum. Verique est simile & Hippocratem & Erasistratum & quicumque alii non contenti febres & ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo quoque *maiores medicos* extitisse.

A. CORN. CELSUS *de Medicina*, in præfat.

* * *

Speramus & cupimus futurum, ut *Medici nobiliores* animos non nihil erigant, neque toti sint in curarum fordibus, neque solum propter necessitatem honorentur, sed fiant demum omnipotentia & clementia divinæ administri.

BACO DE VERULAMIO *Hist. vit. & mort.* in præf.

* * *

Profecto ipsa medicina, nisi quatenus historia naturæ fundata fuerit, res omnino vana & inutilis est. --- Ego satis mirari non queo, unde hoc sit tam insolens rerum naturæ fastidium.

LISTER *Synops. Conchyl.* in præfat.



§. I.



Naturalium corporum continuum nexum esse, ut jugi serie se singulæ excipiant, neque ab uno ad alterum saltum facere naturam antiquitus dictum est. Retractatum hodie a multis argumentum dudum placuit, & quum quod alii quoque animadverterunt, videremus spargi in retis speciem lateralibus nexibus mire implicitis rerum affinitates, eas tabula aliqua exprimere abhinc multis annis tentavimus; sed nostros tantum privatos in usus, nec edere animus erat, quod a peritiore aliquo similes nostris labores susceptum iri continuo sperabamus. Nunc quum nihil hujusmodi lucem adspexisse intelligeremus, resumere placuit illud quantulumcunque est opellæ, elimavimus tabellarem nostram synopsis & passim auximus, brevique commentariolo animalem tantum partem speciminis academici loco illustrare decrevimus. Verum in eo exarando quum medii hæreremus, observavimus tam exuberantem esse rerum dicendarum copiam, ut si vel paucis tantum verbis singulorum nexus affinitatumque rationem indicare vellemus, libellus nobis non brevis dissertatio scribenda esset. Quare mutato consilio non nisi tabulam emittere constituimus, quam

integram servare oportebat, quod in partes discissæ plurimum gratiæ, si tamen quid ejus reperiet, decessurum fore videretur. Commentationem autem ipsam prope diem typis vulgabimus. Ne vero tabula nostra absque ulla explicatione prodiret, primum quæ sit ejus constructio docere, deinde præcipua ejus nonnulla momenta & vel difficiliore intellectui, vel in quibus maxime totius rei cardo versatur affinitates breviter dilucidare constituimus.

§. II.

Ergo quod compositionem tabulæ spectat, hæc fere B. L. docendus erit. Classes animalium, præter amphibiorum & piscium, quorum nullos esse distinctos limites recte Celeb. PALLAS a) monuit, lineis ex asteriscorum serie formatis separavimus. Nam utut sint naturæ gradus formarum structuræque ab aliis in alias sensim trans-euntium, non tamen in classium sejunctionibus rerum peritus facile ambiget. Classium, ordinum, familiarum nomina suis quælibet elementis scripturæ magnitudine diversis distinximus. Genera, quæ scholis audiunt, & specierum nonnullas collectiones, literis expressimus quas antiquam scripturam typographi vocant, species autem italicis quas cursivas vulgo dicunt. Nomina adhibuimus, uti decebat, Linnæana plerumque, sed ubi alia occurrunt, addita litera initialis nominis auctorem facile prodet. Ita intelligentes haud difficulter perspicient, P. literam ubique PALLASIUM, in mammalibus literam S. SCHREBERUM, in piscibus G. GOVANUM, Kl. KLEINIUM, in insectis G. & F. GEOFFROYUM & FABRICIUM, alibi literam F. FORSKOHLIUM, M. MÜLLERUM designare. Verum hæc non ubique observata esse fatemur, quod & in totis ordinibus e. g. infusoriorum vermium ubi non nisi MÜLLERUM sequuti sumus, apte omitti posse duceremus, &

a) *Spicileg. Zoolog. Fasc. VIII. p. 37.*



sæpe vel spatii penuria, vel nostra aut typothetæ incuria, nam in opere intricato & hercle non expeditissimo multa attentum quoque oculum effugiunt, neglectum est. Quæ omnia gnarus facile supplebit, non majori labore quam abruptas voces, quas passim loci angustia non integras admisit. Jam in designandis specierum necessitudinibus ita versati sumus, ut quas posset capere tabella plurimas exprimeremus & alios atque alios nexus ostenderemus. Ita ex. gr. a Pico exeunt quatuor lineæ, quarum altera ad dextram Jyngem conjunctissimam avem annectit, altera ad sinistram Picum aureum, qui rostro magis incurvo ad Cuculum spectare videtur: ascendens autem linea ducit ad Corvum qui capistrum plumis reversis cum Pico convenit, descendens autem ad Certhiam familiarem quæ sola e Certhiis rectricibus rigidis gaudet & acuminatis Picorum more, Certhiasque cum Picis conjungit. Aditæ sunt a sinistro latere duæ species Pici, tridactylus & semirostris, quorum hic affinitatem longinquam quidem sed tamen aliquam cum Rhynchope item semirostri ave, illa autem cum Alcedine tridactyla indicat. Atque ita etiam in aliis. Oportuit tamen alibi alio modo colligere plurium affinitates & una linea ab utroque apice in finem curvata comprehendere oppositoque latere ad aliud genus deducere, uti e. g. in vespertilione fecimus. Quod si non ubivis ejus sinuatæ lineæ medius apex illam vocem respicit, quæ comprehendere alias ad quas lineæ exeunt debebat, uti e. g. in Didelphyde, Lemure; condonandum id officinæ & dimidiatorum spatiorum penuriæ est. Et plures quidem similes affinitates addidissemus, si per tabulæ angustiam & dispositionem licuisset *b*). Erat enim

A 3

b) Ita Bradypodem ductis lineis adhuc cum Pecoribus ob ruminationem, cum avibus ob cloacam, cum amphibiiis ob lentorem & vitæ tenacitatem conjungere potuissemus, sed aliquo demum loco standum erat.

& illius rei ratio habenda, ne nimis sese decussantibus lineis præter modum fieret intricata tabula, aut nimis auctus labor typothetam absterret, qui ne sic quidem sordidum artis suæ specimen dedit, & in elementorum defectu, quum nulla apud nos fusoria characterum officina sit, multas difficultates feliciter vicit. Nam æri quidem incidi tabula poterat, & contrahi hoc modo in angustius spatium, & elegantior fieri atque magis accurata, sed parcendum erat sumptibus. Ceterum quum probe sciamus alios in instruenda naturæ scala magis sectari formarum similitudinem, alios structuram, alios plus tribuere organorum multitudini & perfectioni, alios elementum quod animalia habitant, motus, propagationis aliarumque qualitatuum convenientiam respicere, alios sibi in numeris placere, alios magis animæ facultates urgere; ut omnibus placeremus, modo ab hac modo ab alia parte affinitates nostras deduximus, ita tamen, ut quantum fieri posset, conjunctissima semper, quæ pluribus inter se characteribus convenirent, sibi maxime fierent propinqua. Nam si ab una tantum qualitate profisciscaris, alio atque alio modo disponi genera debebunt c). Neque nos ita intellectos volumus, ac si omnia animalia tantundem perfectiora concipiamus, quantum in nostra tabula altiori loco ponuntur, & Vulturem e. g. Gryphum præstantiorem nos reputare quam Trochilum, aut sagacem Elephantem postponere inertī Bradypodi. Erant enim primum animalia ita nobis disponenda ut intermedium spatium plura genera caperet, unde necessario non uno altitudinis gradu collocari potuerunt: deinde quum non diffiteamur nos maxime formæ structuræque rationem habuisse, quod & hæc facilius in oculos cadant, & multo-

c) Ut vel ex sola tabula patet quam dedit VICO D'AZYR, quæ extat in ROZIER'S *Observ. d'Hist. nat.* 1774. *Décemb.* p. 479. ubi indicata tantum summa affinitatum capita sunt.

rum aliorum causam in se contineant, non potuimus Elephantem sublimiori loco ponere, ne ex eorum animalium linea quæ digitata ab ungulatis dirimunt & inter utraque ambigunt, quæque aliis etiam characteribus, dentibus scilicet prominentibus, naso elongato &c. conveniunt, eximeretur. Proportionem in enumerandis speciebus servare non potuimus. Sæpe numerosum genus uno generico nomine exprimere coacti sumus, alibi ut alias relationes accerfereremus, plures ponere etiam remotiore quandoque loco; alibi vix aliam ob causam, quam ut spatium repleretur, nonnullas posuimus.

Denique quilibet etiam perspiciet, nos in modo quo nomina inter se conjunximus ipsisque lineis aliquam servasse diversitatem. Ejusdem generis quæ sunt aut proxima affinitate juncta, integris lineis nexa sunt, sed punctatis quæ diversi sunt generis, & nonnullas similitudines e longinquo petitas infractis ad rectum angulum lineis, passim quoque repetitis indicare necessum fuit. Quæ affinitas in alia plane classe quærenda est, eam sinuosa linea indicare decreveramus, quod paragraphi signis (§) typotheta ab initio expressit, sed quum illa stamina mox deficerent, alia signa, cruces, catenulas &c. adhibere coactus est. Statutum quidem nobis ab initio erat, etiam lineolarum punctorumque diversa magnitudine majorem minoremve affinitatem exprimere, sed mox ab eo consilio desistere oportuit. Quare puncta rotunda, & quadrata & duplicata quæ cola dicunt, & lineolæ diversæ longitudinis idem fere significant. Quin passim errores subrepisse videmus, partim operarum, partim nostra culpa, ut integra linea sit, ubi punctatam poni oportebat, aut versa vice. Eos errores in fine indicare animus est, ut calamo correcti emendatiorem sistant tabulam iis quibus ea res curæ est, quos etiam non poenitebit inseruisse calamo puncta & lineolas illis in locis, ubi pariori manu

& remotiores ponere minor characterum qui in promptu erant copia jusserat *d*).

Ut verbo nos expediamus, æquos rerum judices, qui aut difficultatem operis sponte sua perspicient, aut si severiores esse cupiant, ipsi manum admoveere velint, & quam arduus labor sit, experiri, facile pauculos hinc inde errores condonatueros esse confidimus: neque aliud opellæ nostræ præmium ferre cupimus, quam aliis quibus & plus doctrinæ & otii est quam nobis, instruendæ emendationis & plenioris tabulæ, cujus non ineptam normam primi docuisse nobis videmur, auctores extitisse.

§. III.

Jam ut quædam de ipsa nectendorum generum ratione addamus, non multa de Hominis & Simiæ conveniente naturæ disputabimus. Eam majorem quam cum ullo alio animali esse nemo non videt. Comparationes varietatum humani generis cum Simiæ speciebus non valde serias quidem ob loci opportunitatem instituimus. Per Simiarum Papiones hinc ad Feras, per Sagoinos autem aut Callitrichas, ut novissime vocat Cel. ERXLEBEN *e*) ad Glires inde transitur. A Mustela Lutra in sinistro latere per animalia in quibus evidentior sensim & auctior natatilis natura occurrit ad pisces descendimus. Vespertilionis ad aves prona gradatio, Struthionis ad mammalia ascensus cognita res est. Alias intermedias species ubique suo loco

d) Asterisci qui passim in utroque laterali tabulæ margine occurrunt, id indicant, occurfare ibi, si in orbem tabula flectatur, affines species, & ut exemplo rem illustremus, Soricis moschati necessitudinem hinc cum Talpa indicatam extendi etiam in oppositum latus, & illinc per Castorem Zibethicum Glirium familiam annectere.

e) *Syst. Regn. animal.* Lips. 1777.

loco positas esse apparebit, Myospalacem inter Talpam & Murem, Antilopem inter Cervum & Capram, Babi-
russam inter Suem & Cervum. A Caviis per Hydro-
choerum sive Cav. Capybaram PALL. transitus ad Suem
qui cum reliquis in eadem linea positus inter digitata &
ungulata ambigit. Tarsius BUFF. gliribus maxime affinis
ad Didelphydes a SCHREBERO, ad Primates a BLUMBEN-
BACHIO f) refertur; atque inter hæc tria genera medius
nobis ponitur. Sic Ursus Lotor, quem media inter Vul-
pem & Lemures natura esse BUFFONIUS docet. Sed non-
nulla non statim in oculos cadentia potius explicanda
sunt. Aliorum analogias ex magnorum Naturæ auctorum
LINNÆI, BUFFONII, PALLASII &c. scriptis repetere quilibet
poterit. Simiam cum Criceto conjunximus, quod utrique
buccæ faccatæ, Caviam capensem cum Bradypode ob stru-
cturæ non nullam similitudinem. Canis Hyæna cum
Urso Mele & Viverra Zibetha folliculo subcaudali, cum
Viverra Surikatta digitis quaternis, cum Fele Leopardo
aliquantum interna structura, uti D'AUBENTONIUS docuit,
convenit. Hystrici dorsatæ Castoris Fibri habitus. Didel-
phydi giganteæ pedes anteriores Jaculorum more bre-
vissimi. Phocam Leoninam non serio, sed nonnullorum
gratia, qui terrestria omnia in mari recurrere, & quod
sponte se conjungendi locus offerret, cum Leone con-
neximus. Aliis forte placuissent tales similitudinum in-
dicationes, qualem in Corvo glandario dedimus, qui in-
ter aves illud esse videtur quod in sua classe Criceti: aut
qualem in Vespertilione Cephalote P. indicavimus cum
Pecoribus affinitatem, quam sane in diversissimis anima-
libus proponere non ausi essemus, nisi doctissimus PAL-
LAS g) ipse labiorum & buccarum interiore villositate &

B

f) Versuch natürlicher Ordnungen der Säugthiere.

g) Spicil. Zool. Fasc. III. p. 10.



ventriculo bipartito ad ruminantia accedere ipse doceret, Similesque analogias manu addere complures pro lubitu cuilibet integrum erit, qui tabulam extendere volet.

§. IV.

Jam Aves sequuntur. Vespertiloni proxime nexum dedimus Caprimulgum nocturnam avem, per quem intermediis Strigibus hinc ad Accipitres, illinc per Hirundinem ad Passeres pronus est transitus. Ab Accipitribus devenitur ad Psittacos qui rostro conveniunt, & per Lanios ad Ampelides & Tanagras, quod Tanagram Jacapam cl. PALLAS Lanium esse velit. Sed cum Paris quoque conveniunt intermedio maxime Lanio biarmico. Jam Picarum, quas cum aliis Oscines vocare magis placet, non difficiles sunt nexus, quas supra jam partim explicuimus. Passerum, autem affinitates etiam ab Oriolo deducuntur ad Turdum, a Todo ad Muscicapam, a Trochilis ad Motacillas. Reliquæ hinc inde diffusæ tandem per Loxiam Curvirostram ad Psittacum, per Columbam passerinam autem ad Tetraonem coturnicem adeoque Gallinas redire videntur. Et ipsa quoque Perdix sola inter Gallinaceas monogama Passeres revocat. A Tetraonibus planissimus per varias intermediarias species transitus ad Charadrium patet, inde minorum Grallarum affinitates diffunduntur, uti ab Otide majorum Ardearum. Psophiæ vocis instrumentum ad tetrinnientes anatum labyrinthos nos ducit, sed magis Phoenicopterus Grallas Anseribus jungit, qui denticulato rostro palmatisque pedibus anser est, focias tamen secum ducit Recurvirostram & Fulicas quæ pedibus tantum anseres referunt, & Phalaropodes lobatis pedibus Colymbis vicinos. Hi junctis Alcis compedes aves sunt, eaque structura annectunt e mammalibus Phocas, ex Amphibiis marinas Testudines. Alcas quod spatium superesset ad PALLASII mentem dispo-



fuimus; in reliquis nihil videtur esse quod non facile intelligatur. Sed unum notare expediet, Phæthontem æthereum, Diomedeam exulantem, Pelecanum Aquilum supremo omnium aquaticarum loco positos esse & Falconi Haliæto nexos, ut & altum volatum & vitæ genus prædatoriosque mores indigitaremus.

§. V.

Amphibia non uno nomine cohærent cum mammalibus & avibus. Ex illis quidem Dasypodis lorica Testudinem, Manis squamæ Lacertam vulgo etiam jactata similitudine referunt. Phocarum, Castoris, Hippopotami & reliquorum quæ amphibiiis annumerare solent multi, genera annectere in tabula plane obliti sumus, quum ut solet fieri, aliis minus cognitis affinitatibus inhiantes vulgatorum non meminissimus. Alii quoque pedibus quaternis quibus reptilia gaudent tantum tribuunt, ut ea mammalibus quadrupedum nomine juncta velint. Nos ne hanc quidem analogiam urgere volumus, sed hybernantia animalia a nobis huc traducta esse assensum reperiet, potuissetque addi Bradypodis Phocæque ursinæ tenacitas vitæ aliaque similia. Ex avibus hirundo urbana hybernantibus mammalibus se associat, ut amphibiorum se immisceat familiæ, & amplo rictu integros pisces vorans & successive digerens Alcedo aliæque aves aquaticæ urinantes, vicissimque Draco assurgit ad aves. Jam Testudo coriacea ad Lacertas, serpentina ad Serpentes transit; Lacertæ orbiculari si caudam demas, Rana erit; Lacerta Chalcides brevissimis pedibus proxime ab anguibus distat. Siren lacertina in amphibiiis est quod Manatus inter Mammalia. Calamo conjungere poterit qui volet. Serpentibus Petromyzon propior, & inde cartilaginei pisces spiraculis respirantes. Lophius brachiorum specie pedata amphibia, Ostracion aliique metamorphosi

quam experiri LINNÆUS docet, Ranam referunt. Acipenser Cyclopteron contingit. Inter branchiostegos & operculatos pisces Cyclopterus & Mormyrus medii. Xiphias post cetaceos primus & mole & si auctoribus fides, aliquali structura illis assimilatus. Muræna a Serpentibus aquaticis deducta longam inde anguilliformium piscium seriem post se trahit, quæ ad diversissima quoque Gobii Mormyrique & si quæ sunt alia in vicinia genera sese extendit. A Cotto cataphracto ad Loricariam aliosque loricatos pisces transitus est. Scorpæna didactyla PALL. habitu Scorpænam, digitis liberis Triglam refert. Trigla & Polynemus Thoracicos & Abdominales pisces conjungunt. At omnium maxime Chætodontis genus numerosis speciebus intrudere se aliis aliisque generibus videtur. Ab ipsis avibus volantes pisces derivare vulgo solent, aliique a Syngnatho Hippocampo corporis segmentis distincto Insecta deducunt.

§. VI.

Sed in animalium classe, quorum structura jam plurimum a quatuor prioribus abludit, evidentiorum nexus cum piscibus rationem deprehendisse nobis videmur in Cancro, qui non tam quod natent plurimæ species & vulgo piscibus annumerentur, sed potius quod organis branchiarum æmulis illorum more respirent, affines iis sunt. Idem ambigua vita genitalibusque duplicibus referri ad amphibia possunt. Etiam ab avibus per Trochilos descensus est ad Sphinges, cum quibus corporis exigua mole, colorum splendore, sed maxime lingua tubulosa bifida, alimenti similitudine, volatu suspenso conveniunt. Subdidimusque illi lineæ quæ aves insectis jungit, Pterophorum GEOFR. five Alucitas phalænas L. quod in pennas distichas quasi fissis alis gaudeant. Lepidoptera mire sese decussant. Pap. Apollo inter Danaos



& Heliconios medius, idem quum folliculum neat Phalanis assimilatus. Culicem quod itidem squamatis alis sit subjunximus. Inde a Lepidopteris per Heliconios annectuntur Libellulae, a quibus Fabricianae dispositionis causa ab oris similitudine petita, ad dissimillimum de reliquo Julum lineam deduximus. A Sphingibus descendendi usque ad Bombylium potest, inde transiri ad diptera quibus intermediis Tipulis hinc Neuroptera illinc Cimices se cum sua familia associant. A Cynipibus, quibus forma corporis Phryganea gibbosa SULZERI (Inf ed. II.) accedit, pendentes fecimus alia insecta gallarum auctores, etiam animalium Oestrum: ab Ichneumonibus non forma tantum similia sed & alia parasitica. Sic pleraque lignivora insecta, alibi lucentia in suis quidem generibus locata conjunximus. Chrysomela minuta Dytilis nexa, quod aquatica sit, Scarabæus pannipes autem, quod simile copulae instrumentum in anterioribus pedibus. Eandem ob causam Dytilis quoque cum Rana temporaria necti potuissent, tanto magis quod utrisque amphibia natura est. Musca scybalaria Asilum æmulatur, quam ejus more aliis gymnopteris victitare viderimus. Muscæ vermileoni eadem cum Myrmeleone formicario vivendi ratio. Perlæ larvis Lepisma sub simile insectum est, idem squamato corpore Lepidopteris affine. Insectum a BODDARDO *b)* descriptum inter Alticam, Necydalidem Silphamque medium esse dicitur. Blattam heteroclitam PALL. ad Cassidas relatum fuisse ab iis qui insectum perfectum non viderunt, haud mirandum est. Ab Hemerobio, per simillimum forma & alarum defectu Pediculo insectum, quo etiam celeb. GEOFFROY refert, transitur ad Aptera, quorum genera Monoculi, Cancræ, Onisci, Phalangii, quam mire se excipiant & decussent, ex auctorum in illis definiendis dissensu abunde patet.

B 3

h) Dierkundig Mangelwerk. V. Stück. p. 12 - 24.

§. VII.

Vermes demum, ut sunt in infimo animalis scalæ loco positi, & structura maxime ab aliis animantibus sæpe ad miraculum usque abundunt, ita in accerfendis ab aliis classibus ad hanc affinitatibus majorem curam adhibuimus. Jam inde in Serpentibus ultimus catenæ annulus videtur Cæciliæ glutinosæ esse, primam inter vermes Myxinen annexens, cui structuram serpentinae supparem facit GUNNERUS. i) Sic Muræna cæca in qua oculos observare non potuit LINNÆUS, quæque Myxines in modum pluribus punctis perforata est, vermibus valde vicina videtur, nec minus Solenostomus 16. KLEIN. *miss. pisc. IV. Tab. V. Fig. 5.* modo verus piscis sit, lumbriciformis est. Cyclopteri fugentem pectoralem cotylam. quum magnus naturæ auctor PALLASIUS fabrica & usu Limacis pedi comparet, tanto minus nos hæsitavimus Cyclopteron gelatinosum non minus quam Medusa mucido corpore gaudentem, vermibus connectere. Amphibiam quoque vitam in nonnullis vermibus redire, Helicis succinæ MÜLL. f. putris LINN. exemplo ostendere volumus. Lumbricum Juli more articulos successive evolventem illi subjunximus, & Nereides simillimas Scolopendris, elegimusque ex utroque genere noctilucam speciem. Chiton testaceum animal Onisco simile, & sæpe cum illo confusum. Oniscum spinosum FABR. prætulimus ad indicandam eam affinitatem, quod gelatinosa natura magis quoque ad vermes accedit. Aphroditæ larvas Lepidopterorum hirsutas referunt, & vulgo cum illis comparantur, hirudines geometrarum erucarum more incedunt. Vermes nonnulli quos Sabellas LINN. dixit, intra cucullos latitant ex arenulis confectos Phryganearum more. Muscarum larvæ mollissimæ pandentes Ascaridi vermiculari analogæ. Lampyridis lumen in Nereide aliisque redit. Cerambycum more Terebrantia ligna perforat. Concharum multarum continuus hospes Cancer Pinnotheres est, nec alter altero carere posse videtur. Sic & Cancer Diogenes alique parasitici turbinatis indigent in quibus habitent, adeo illis conjuncti ut etiam fabricari ab illis testam nonnulli putaverint. Sed multa horum levia. At quod in Aphide miramur; modo ova parere modo vivos foetus, id quoque in Roffredianis anguillulis occurrit, nec androgyna natura plurimorum vermium sine exemplo inter Insecta est. Huc enim Monoculus spectat. Ejusdem generis conchaceus (nam nova genera MÜLLERI, Daphne, Lynceus, Cypris, Nauplius, Amymone, quum tabulam dispozeremus nondum nobis cognita erant) annectit testacea bivalvia pulcherrimo vinculo. Eundem & in Trichodam Lynceum MÜLL. incidere fecimus, quem forma illi similem esse auctor ille refert.

i) In *Act. Nidrosan. Tom. II. p. 230.*



Jam a Nereidibus & affinibus Serpulæ proximæ, unde hinc ad Zoophyta varia viam ostendit natura, illinc per polythalamias regulari testæ structura sensim perfectiori ad conchyliæ reliqua abit. In quibus ambigit Echinus inter testacea & Asterias, Pholas inter bivalvia & multivalvia, Pinna valvis sine cardine connatis ad Cochleas, operculatæ autem Cochleæ Conchis accedunt, maximeque Nerita, cujus præterea testæ forma in variis aliis Linnæanis generibus redit. Sed animalium quæ testas inhabitant conjunctas naturas ut quoque exhiberemus, Limacis ad Testacea transitum ostendet MÜLLERUS, cujus gratia quoque Bullam fontinalem L. ob simile animal Planorbi adjunximus. Bivalvia Ascidiis habitata mollusca hæc sibi sociant, vicissimque Ascidioidea Zoophyta extant, quorum nexus maxime ex PALLASIO desumimus, Infusoriorum ex MÜLLERO, ad quos coacti B. L. ablegamus. Mollusca multa recens detecta omisimus, nonnulla ne vacuus nimium relinqueretur ille ordo, fortuito fere loco posuimus, alio modo nectenda ab iis quibus ea magis quam nobis cognita sunt.

§. VIII.

Et jam sensim imminuitur animalis vitæ nobilior conditio; jam torpet motus, qui in nonnullis plantis ex adverso vividior recurrit; jam ordinis sui incerta fluctuant multa; jam dubium, sintne Corallinæ plantis, an Conservæ nonnullæ animalibus sociandæ. Jam propaginibus infinitum multiplicandæ Naides, Tæniæ, Zoophyta, stoloniferas plantas revocant, & Fasciolæ ac Volvoco in germina diffuentes Tremellæ & Lycoperda, reviviscentia autem Infusoria redivivos Muscos referunt. Jam ex Fungis Münchhauseniana sententia vermiculorum nidis nobilior Clavaria a MÜLLERO eximitur, animalibus reddita. Nam Hydræ quidem, quas abhinc triginta annis stupuimus, tanquam infimum animalis seriei gradum, nunc nimis jam sunt animalia & altiori loco collocata. Jam in bivio constituta Sphærula vegetabilis & animalis MÜLLERI, quæ parum abest quin Buffonianam molecularum organicarum theoriam vera nunc observatione confirmet. Jam vegetandi vis in calcarea terra, si PALLASIUM audiamus, jam ——— sed quando miraculorum erit finis? In re abstrusa & difficili, quæ summorum Philosophorum non umbraticorum, sed ex qui ipsa rerum natura petitas observationes rite instituire & cum ratiocinandi acumine felici connubio nectere norunt, ingenia hodie exercet, præstat nihil dicere quam pauca, aut saltem contrahere in duo verba illud, cujus gratia omnis hæc disputatio suscepta est, discrimine fere omni sublato descendere sensim animale naturam in deteriolem, & degenerare hinc in plantam, illinc in lapidem.



THESES.

Methodus naturalis alia non possibilis, nisi qualem dedimus, tabellaris, aut alia subsimilis.

II. Hinc artificialium multitudo non obest, potius ad naturalem ducit.

III. Crystallorum lapidearum & metallicarum figura ab heterogeneo (probabilissime salino). Nullus enim effectus sine causa.

IV. Infusoria videntur Lithophytorum sortem experiri. Plurima dubia contra eorum animale naturam movent ii, qui ea minus ipsi observarunt.

V. Omnem terram calcaream animali organismo deberi, nondum satis evictum esse videtur.

VI. Omnis fluiditatis causa calor.

VII. Aurum Sulphuri jungi, & in minera, ut vocant, formam cum eo abire posse, Hungaricæ glebæ ostendere videntur.

VIII. Cinnabarim iners medicamentum esse, nec a priori nec a posteriori confectum videtur.

IX. Millepedes contra nonnullorum recentiorum sententiam efficacissimi.

X. Præstantissima medicina Dogmatica cum Empirica conjuncta.

XI. Illois manibus Medicinam auspicantes nec sibi, nec arti, nec ægrotis consulunt.

XII. Multorum morborum ætiologia sæpe obscura & cura difficilis, ob neglectum Historiæ naturalis studium.

XIII. Cur renascuntur pili cum bulbulis evulsi e naribus, non item barbæ?

XIV. Non videtur humani generis bono fieri, quod Medici qui Mercurium salibus rodentem factum exhibere non hesitant, plerumque a Cupro, Plumbo & Arsenico adeo abhorreant.

